DE

CONVENTV

CÆSARIS FERDINANDI

cum quibuſdam Imperii Electoribus
Ratisbonæ celebrato, ANNO
M. DC. XXX.

EPISTOLA

Accurate & vere perſcripta ab autore, qui res probe cognitas habuit.

LONDINI,
Excudebant B. A. & T. F. typographi pro NATH: BUTTER,
& NICH: BOURNE. Anno 1631.

EPISTOLA.

EQuidem, Nobiliſſime N. N. de Comitiorum Electoralium actis maturius, ut promiſeram, ad te perſcripſiſſem, ni mihi Ratisbonâ redeunti, inter amicorum ſalutationes & mutua Chariſtia, plures quàm volebã, dies perijſſent. Nunc cùm importuna iſta humanitate liberatus ſim, & negotiorum ac loci hujus, in quo dego, ſolitudo ocium mihi fecerint; nolui deferre, quod diu tibi debeo. Poſt XII. annorum ſæviſſima bella, & inductam patriæ ſolitudinem, ſanè veriſimile erat, omnes pacem optare, ejuſque conficiendæ cauſa hæc comitia indicta Nam Proteſtantes acerbiſſima huc uſque perpeſſi, graviſſimis adhuc tributis, & fœditatorum Catholicorum milite premebantur. Ipſi quoque Catholici, Cæſarei militis inſolentiam ſæpè experti, diſpendia belli, ſui quoque Ducis. Bavari avaritiam exhorrebant. Vnde Neoburgenſis Palatinus fœderi renunciaturus dicebatur: at Salisburgenſis, quippe cui nullum, ut cæteris, belli pretium, ab aliquot annis ſtipem negaverat. Trevir quoque ab Hiſpano milite illata damna, populationes agrorum, raptus penatium cauſabatur: & cum cæteris Colonienſis quoque relinquebat. In eo tamen Proteſtantium conſilia deſideriaque à Catholicis differebant, quod illi præteritorum oblivionem, & ſimpliciter pacem obtabant; hi quidem arma poſituri, ſed non niſi reſtitutis ſacris bonis, quæ illi occupaverant, videbantur. Porrò Imperatori quoque cordi fuiſſe pacem & comitia, humanius eſt credere. Nam & Viennæ adhuc, cum rumor percrebuiſſet, pacem & concordiam ſpecioſis & irritis nominibus jactari, fingique comitia, nec iturum Ratiſbonam; acriter Comitem Schwarzenburgicum, Aulæ-Mareſchallum increpuit, quod non legeret comites, conquireretur impedimenta, adornaret currus naveſquè, quodque tarditate & negligentia vulgi ſermonibus materiam præberet: & mitis in-

genij Principem, paci olim assuetum, fortunæ vicissitudines cogitare, & post tot annorum prosperrima bella quietem & otium desiderare credibile erat. Metuendum præterea fuit, ne continuata bella, immortalia tributa, concussiones, injuriæ, raptus, quia non prohibebantur, jussa crederentur: ideoque posteaquam non subvenitur, remedium ex desperatione homines peterent.

Sed quorum animis affectati dominatus opinio insidebat, ut est vulgus ad deteriora promptum, nullâ publici curâ, nec æque pacis cupidine, sed partim necessitate coactum, partim ut Domui suæ munimenta pararet, quibus in posterum insisteret, consilio ad Comitia suspicabantur. Quippe rebus ejus quàm maximè hactenus placita conducere. Bello, tributis & accusationibus velut lentâ morte perimi, quicquid in Imperio validum. Insistere fortunæ, quæ secunda hactenus Cæsari fuerit, prudentis esse. Vtendum eventu. Multa experiendo confieri, quæ initio difficilia habeantur. Posse Catholicorum ope Protestantes, & his submotis etiam illos in ditionem Austriacorum redigi. Ognati Comitem, ex Guevarorum familia, nuper Hispanicum apud Cæsarem Oratorem, non ignarum consiliorum quæ tùm agitabantur, *æquo longiores Germaniæ Episcoporum togas, eoq; resecandas*, sæpiùs inter amicos jactasse. Porro si maximè pax placeat, tamen Comitia, quibus ea sancienda sit, fugienda esse. Per ea enim Cæsaris dicta factaq; censuræ subijci, vimque Principatus resolvi; eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quàm si uni reddatur. Iam verò scriptum militem, cæpta gestaque bella, indicta tributa, pulsos Principes, novosque ab aula homines substitutos, omnia denique contra leges, inscijs, aut invitis Imperij Ordinibus, atque adeò Electoribus, gesta, quomodo defendi, imo quomodo excusari posse? Porro ut maximè ad pacem inclinet Cæsar, tamen potentiam vi & armis servari Exasperatos varia injuriarum imagine Proceres & plebem; ausurosque vindictam, ubi inermem Cæsarem viderint. Hæc in aula haud dubio agitata, diuquè suspensos tenuisse

nuisse Cæsarem & Palatinos; prævaluisse tamen ex adverso necessitatem profectionis, Nam exulceratos & arma circumspectantes animos spe pacis & meliorum temporum omnino leniendos: & ingruentibus uno tempore tot hostibus, Gallo, Sueco, Batavis, conciliandos Imperii Proceres, ijsque persuadendum, non hos Austriacæ Domus privatos, sed Imperij publicos hostes, communibus opibus armisque propulsandos. Nec ignorabat Cæsar, plerosque dominos quidem ut pareant, nondum ut serviant, agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, & interpretando accendere: & cæsos in Borussia Cæsareanos, in Hollandia circumventos, in Italia cum summis necessitatibus conflictatos, captam Syluam-Ducis, & Vesalium, adventantem Suecum, multosquè non ut mala publicè loqui. Suberat alia quoque Comitiorum ratio: nec alia tam intima Cæsari profectionis causa fuit; firmare in Familia sua Imperium, ostentare proceribus filium, eique conciliare Electores. Ita Catholici, Protestantes, Cæsar, causis diversis, studio pari, pacem omnes cupiebant. Sed Protestantes eam petebant, quæ omnium oblivionem & cunctis securitatem promitteret; Catholici ante restitui bona suis Ecclesijs, & Ecclesias veteri religioni volebant: Cæsar coërcitos rebelles, cunctaquè sui dominij, Pacem appellabat: verum illa dimitti exercitus, aboleri tributa, minime suadebat. Hic fuit Reipub. status & habitus animorum, cum Ratisbonam Cæsar & Electores convenerunt.

Proposita sunt consultationis capita; quorum initio longa narratione id agit Cæsar, ne vel ipse belli tàm infesti causa, vel pacis impedimentum credi posset: omniaquè belli mala Palatino, & qui hujus actionibus se socios addiderant, Mansfeldio, Brunsnicensi, Daniæ Regi imputabat: sæpius se ductore de concordia actum: sed adversariorum pervicacia omnes eos tractatus in irritum cecidisse: Igitur nunc tandem serio de pace, aut, si ea obtineri non possit, de communi inter se, & cum Cæsare fœdere contra hujus tàm necessariæ pacis turbatores, sive domestici illi sint, sive externi, cogitandum. Et quia Fridericus Pa-

latinus, belli & malorum cauſa, æquiſſimis in Mulhuſiana Electorum Synodo ſibi dictis legibus uſquè huc non peruenerit, nec à conſilijs Patriæ & tranquillitati publicæ infeſtis unquam deſtiterit, ſed eum ante alios, tum poſtremo Batavos in patriæ perniciem exciverit: Rogare Imperatorem, velint jubeant Electores, excludi ab omni redeundi ſpe extorrem palatinum, nec unquam pacis cum eo gratiam reconſiliari. Porro Batavos, qui reverentiam Imperio debitam dudum exuerint, nuperrime egregias ejus civitates, atque adeo ditiones, ſacrilego auſu invaſiſſe & occupaſſe. Videndum igitur, ne quid Reſpub. detrimenti capiat: cogitandumque de remedijs, quibus prædonum audacia coerceri, & injuſtè ablata recuperari poſſint. Quartum erat de bello Italico, & Rege Galliæ, quem Imperij Iura invadentem, arbitrumque rerum ad ſe minime pertinentium, non ferendum Imperator ajebat. Cum Sueciæ Rege nullas quidem ſibi ſimultatum cauſas eſſe: ſed ſi Legatum Burgravium à Dhona, & pacis proxenetam Daniæ Regem, audire nolit; ſane minitandam vim Romanam, &, ſi non deſtiterit, armis coercendam audaciam. Poſtremo de alendo perpetuo exercitu, reſtauranda diſciplina militari, deque modo tributorum deliberare jubebantur.

Hæc, ut primùm in vulgus emanarunt, multis ac varijs ſermonibus differebantur: pleriſque mirantibus, quod cùm primo capite de Pace conſtituenda caveretur, quinque reliqua belli minas & armorum ſpirarent. Pacem ſcil: vocari Domus Auſtriacæ dominationem, & ex diverſo turpem ſervitij patientiam. Boëmorum rebellionem, Palatini culpam, Mansfeldij cæterorumque perduelles ſpiritus, obtentui fuiſſe: nunc arma in hoſtes initiò ſumpta, contra Rempub. verti. Nam poſt compoſitas cum Dano res, hoſtem quidem Imperio nullum; nec minus tamen militem, tributa, mala pacis inſtrumenta, imperari. Sed ſcil: id agi, ut Auſtriacæ Domus privata jurgia vi Imperij Romani exequantur, alienámque litem ſuam faciant. Fridericum enim, Batavos, Niverni Ducem, & hujus cauſa Galliæ Regem, Suecum denique,

denique, ab Auſtriacis ſe violatos, cum Imperio amicitiam profiteri. Et ut Fridericus injuſtè regnum Bohemiæ invaſerit, pœnamque meritus ſit: eam tamen inconſultis Imperij Ordinibus irrogatam. Tranſlatam in Bavarum Electoratus dignitatem, contradicentibus Electoribus, & invito Hiſpaniæ Rege. Audebant præterea vaticinari, non redituram Imperio pacem, niſi reſtituto vel in integrum, vel in partem amiſſæ dignitatis ditionumque Palatino. Non enim illum tantum, illiùſque tot liberos, & horum poſteritatem, cuicunque libuerit, turbarum materiem aliquando futuros: ſed & Auſtriacos, & Hiſpanum cum Bavaro, & Proteſtantes (quod amoto Palatino, ſuffragiorum numero ſemper inferiores erant) cum Catholicis perpetuo æmulatu diſſenſuros. Eo verò in priſtinum locum repoſito, gravem potentiam Bavaro, Auſtrijs æmulationem, Proteſtantibus metum demi. Et ne Bavaro metuendum aut pudendum ſit, abdicare dignitatem, ſuâ virtute, ſuiſque partam meritis; addebant conſilium, relinquere ei partem ditiouum Palatinarum in perpetuum, & (quod nec exemplo carere dicitur) Electoris dignitatem per annorum aut ſucceſſionis vices ambulatoriam. Porrò Batavos, quamvis obſequium Regis Hiſpaniæ ejuraverint, Majeſtatem tamen Imperij comiter conſervare, & cum Principibus accolis, etiam Catholicis, neutralitatis, ut vocant, jura ſanctè tueri. Sanè belli jure occupaſſe ejus loca quædam, que vel antè Hiſpani tenuerint, vel ne invaderent metuendam erat. Verùm Imperatorem nullâ laceſſitum injuriâ, ſine decreto Imperij, privato juvandi cognatum Regem ſtudio, in ipſâ Hollandiæ viſcera, Monte-Cuculi Comitem cum exercitu miſiſſe. Eam ſubſecutæ ultionis cauſam: nec quicquam in ea nimium, aut belli legibus adverſum. Bello Italico jura Imperij obtendi: Verùm id Hiſpaniarum Regi, ſanguine & opibus Germanorum geri. Quippe Nivernenſem fidelitatem & obſequium jurare ſemper paratum: ſed Hiſpani rebus minime conducere, vicinum Mediolano habere Principem, Gallicis ſpiritibus infectum. Contra Sueciæ Regem, affini Polono Cæſarem, potentem exercitum

ſubſi-

ſubſidio miſiſſe dicebant; nec igitur indignari debere, ſi eodem iure Rex cognatos ſuos Megapolitanos Principes, condemnatos antequam auditos, juvet: eâdem opera ſibi factam injuriam ulciſcatur. Hæc ita vulgo jactabantur.

At Electores gravi reſponſo, temporum miſerias, militiæ flagitia, tributorum enormitatem, horúmque omnium autorem, novum Megapolis Ducem, ſummum exercitum Imperatorem, & per illius latus haud obſcurè ipſum Cæſarem, arguebant Illi enim ſine ſuffragijs Ordinum poteſtatem conceſſam, qualem nemo ante habuerit: ſcriptum innumerabilem militem, nulli uſui, niſi excidio patriæ: illatum bellum, contra quos decretum minimè fuerit: tributa, in quæ ex lege Imperij, communi Procerum ſcito conſentiri æquum erat, ad libidinem Ducis indicta, & crudeliſſimè exacta. Simul affirmabant, ſolum Brandenburgium Electorem, paucis his annis, præter immenſa damna, quæ bellum & miles ſecum ferunt, tributi tantùm nomine ad XX. floren. milliones contuliſſe. Eodem tempore Pomeraniæ Dux, ex ſolo Stetinenſi Principatu X. milliones exactos; & uno anno, preter lixarum & calonum inutilem turbam, XXXI CIↃ. peditum. VII. CCCCCXL. equitum in Pomerania: Guilielmus Haſs. VII. milliones, aliquot annorum ſtipendia: Wirtembergiæ Dux menſtruos centies vicies mille: Norimbergenſes itidem menſtruos xx. & ex cæteris alij plus, alij minus depenſum querebantur. Faſtum quoque Ducis, tribunorum centurionumque, in veſte, aurea argenteaque ſupellectili, & equorum incredibilem luxum accuſabant. Et circumferebatur eodem tempore libellus, quo paratus aulæ, & officia palatij, ſummæ curæ nomina, ajebant, & meditamenta, ſalaria denique quàm Cæſaris, majora continebantur. Tum inviſa ejus, & ex ſpolijs Imperij ac centum ædium ruinis exedificata domus Pragenſis ad invidiam paſſim celebrabatur.

Non negari hæc poterant. Sed illa tempora & vim hoſtium, & in una celeritate victoriam (Nihil enim in civilibus diſcordijs feſtinatione tutius) religioſum antiqui moris ordinem non tuliſſe,

liſſe, dicebat Imperator. Inde variis utrinque ſcriptis diſceptatum eſt, quibus Imperator novi nihil, Electores exauctorationem Ducis & militum; cum Gallo & Italis Principibus, cùm Sueco denique (is in Pomerania naves ſuas nondum appulerat) pacem urgebant. Frederici quoque Legatum, cui cum Britanniarum Regis oratore adventanti ſecuritatem pepigerant, audiendum contendebant. Poſtremò cum Batavis qualemcunq; pacem habere, quàm bellum, cum omnes tum vel maximè Colonienſis Elector, periculo proximus, malebant: & rem tanti momenti in totius Imperii Comitia reſervandam affirmabant. Igitur multa denique pervicerunt Electores, quæ Cæſari & aulicis graviſſima accidebant.

Primum miſſi ad Walenſteinium Ioh. Bapt. Verdenbergius & Gerardus Quæſtenbergius, Barones, uterque immenſis ab eo donis culti, & ſemper in aula conſilia ejus juviſſe crediti. Sed ob id tanquam aptiores ad perſuadendum, aliis prælati ſunt. Videbantur ſuſcepiſſe rem omnium difficilimam: quippe hominem vaſtiſſimi ingenii, aſſuetum Imperio militari, cultum ſummis Principibus, immenſis divitiis circumdatum, tantam injuriam haud ſegniter laturum, nec unquam ad vitam privatam ſponte deſcenſurũ. Etiam verendum ipſi eſſe, ne, qui à Duce auſi non fuerant, à privato ſpolia repeterẽt. Et Megapolitanũ principatum certo periculo exponi. Sed affectis omnium animis in tantæ rei exitũ, novoſq; motus verentibus, (quod omnibus miraculo erat) conteſtim Cęſaris juſſui obſecutus eſt Walenſteinius. Quidam revera fidum Cæſari, & magnificentia quidem ſplendidum, cæterùm inexorabilem delictis militum, neque donis neque licentia, aliiſve vulgi turbamentis allicuiſſe dicebant, eo quę conſultum duxiſſe, invidiæ cedere: poſſe tempora homineſque obſervare æquos, præſentibus mobiles ad pœnitentiam mutari. Alii occultis promiſſis oneratum deſtitiſſe ab Imperio ſuſpicabantur. Erant, qui ex ſyderum ſcientia, cujus Magiſtrum poſt alios Keplerum habuit, & Chaldæorum arte, ventura tempora, ſuaque fata, & hoc conſilium dediſſe aiebant.

Alij denique neceſſitate adactum, ac Cæſaris ipſius artibus vires ei abolitas, & inanem animum, ſpe & cupidine belli Gallici, novæque gloriæ prædæ, à validiſſimis legionibus abductum, Memmingæ velut in carcere fuiſſe credebant. Quicquid ejus rei ſit, certè maximum eſt, & prodigio proximum, quod & Cæſar Electoribus, & Walenſteinius Cæſari obſecutus eſt!

Alterum eſt, quod obtinuerunt Electores, minui innumeros numeros, & dimitti maximam militum partem. Tum nullum bellum ſine Ordinum aſſenſu cuiquam impoſterum indictum iri promiſit Cæſar. Tributa quoque poſthæc non ex Ducis libidine, ſed in Circulorum, ut appellant, conventibus imperanda. Præter hęc ingratam Hiſpano & inviſam pacem Cæſaris, Electorum & Oratoris Gallici ſtudia conflarunt: qua Nivernenſem in poſſeſſionem Mantuæ & Montisferrati reſtitui, abduci ex Italia utrinque exercitus, fauces montium Rhæticorum liberos, ut antè, relinqui cavebatur. Quę ſanè leges tales non ſunt, ut ad eas obtinendas turbari tot gentium quietem, profundi immenſos theſauros, fundique tot millium ſanguinem opus fuerit.

Cum Britanniarum Regis Legato, & Frederici Procuratore, quanquam tractatus exitum non habuit: tamen Frederico gratię locus, & pars ditionum, quæ Hiſpano tenetur, & implendi Mulhuſenſes conditiones libertas etiam nunc ſupereſt. Ergò, quod felix & fauſtum ſit, ſoli Guſtavo Adolpho, Sueeorum, Gothorum, Vandalorum Regi debemus, quod non armis exuti, nec in ordinem redacti ab Electoribus, neq; denique Clericorum ſervi ſumus.

Cum enim durante hoc contentionum æſtu, Baronem à Dhona ſine ſpe pacis abiiſſe Gedano, & Suecum cum exercitus parte in Pomeraniam trajeciſſe, atque occupaſſe Stetinum, ſimul & in fugam conjeciſſe Cæſareanos allatum eſſet: vtendum occaſione ratus Cæſar, vindecari debere ſpretum Imperii Germaniæ faſtigium, & virtute corrigendum, quod contatione peccatum aſſeverabat. Adjuvabat hortamenta Cæſaris occultus

Catho-

Catholicorum metus, ne non ſolus Guſtavus, modicæ potentiæ Princeps, tanti belli molem cieret, ſed plures ex proteſtantibus, odio preſentium, & novarum rerum cupidine, ac fortaſſis etiam externi Principes, ejus conſiliis innexi eſſent. Igitur non tam Cæſaris amore, quàm proprio periculo moti, bellum & auxilia decreverunt.

Interim, quod ſolerter tegebatur, & cujus inter conſolationis capita nulla mentio fiebat, calidiſſimis prenſationibus & intentiſſimo ſtudio agebatur, Regis Rom. electio & inauguratio. Eggenbergius perpetuis arthritidis doloribus vexatus, & ob id rarò lecto digredi ſolitus, quatuor Electores, Saxonis quoque & Brandenburgij Legatos, quemque in ædibus ſuis inviſit: Cæſaris ætatem laboribus feſſam, ac crebrò redeuntibus morbis obnoxiam, amorem erga Rempub: (cui majus nihil conferre poſſit quam bonum ſucceſſorem.) Interregni mala: denique Domus Auſtriacæ merita, & Ferdinandi Reges indolem commendans. In eundem ſenſum, quia duorum Electorum abſentium Legati nullo hac de re mandato inſtructos ſe dicebant, ad ipſos Electores ſcriptum eſt. Adeoque non dubia Electorum voluntas habebatur, ut non ignotus in Aula medicus, cui præcipua pangendi facultas, Coronam Ferdinando III. nemine penitus contradicente impoſitam, Patri carmine, quod Noribergæ typis excuſum fuit, gratulatus ſit. Reſponderunt omnes verbis magnifica, re inania: ſummis Cæſari pro ſtudio in Rempublicam gratiis actis, cæterùm lege Imperij ſe prohiberi, nunc quidem deſideriis ejus obſequi. Nam illa lege Electores non niſi cauſa cognita, Comitia Regis creandi cauſa indicere: cauſæ in cognitione multa verſari, quæ tempus & conſultationem poſcant. Tum Francofurtum eadem lege electioni deſignari. Rumoribus quoque detrahendam materiam, ne non ſponte Electorum, ſed inter circumſtrepentia Cæſaris arma, per vim & metum tranſacta dicantur comitia. Ita prudenti dilatione eluſa ſunt, quæ apertè negare nolebant. Sive autem cura publici & libertatis cuſtodia fuerit, ſive Bavari ambitioſa conſilia interceſſerint: conſtat

tamen etiam ex isto contractam offensionem, quod Ferdinandus Rex in curru, in congressibus & ubique digniorem locum, quem ei vivo patre non deberi contendebant, ambitiosè affectabat. Atque de eo à Mogontino Stralendorfium Imperii Procancellarium in arcano monitum ferebant.

Fervebat interea Lex Majestatis; & ex nobilitate Franconica, Suevica, Rhenana plurimi delati, cum Mansfeldio, Durlacensi, Halberstadiensi vetita arma contra Imperatorem induisse. Quidam reos fuisse, se tantum pœna experti. Ejus rei executionem Cæsar Wolfgango Rudolpho Ossæ detulit, qui inter claros magis, quàm inter bonos, non ita pridem ex Comitum Hanaviensium servitio inter instrumenta aulæ adscitus fuerat: jussitque damnatorum bona in fiscum redigi: multum reclamantibus Electoribus aliisq; Principibus, qui suæ ditionis Nobiles illos, suo & majorum beneficio, feuda quæ nunc à fisco Cæsareo petantur, tenere: sibi denique jura fisci, Cæsarum indulgentiâ & longo usu competere asseverabant. Perstitit tamen Cæsar, & Ossam ad illius criminis acquisitionem liberrima cum potestate dimisit, nulla unquam ex actionibus Cæsaris tam finistrè accepta: Quippe etiam malos Principes, quanquam reos Majestatis puniissent, in conscios haud semper quæsiviſſe: pleraque prudenti dissimulatione, quam suppleiis composuisse. Vnum inimicum qui tollit, multos facere. Maximè pacem meditanti multa dissimulanda: ne vix penè compositi turbines in vehementiorem tempestatem resurgant. Imbecilla à morbo corpora ne quidem medicinâ solicitanda, quiete curari. Vix egregias Principum actiones defendi, nedum eas, quæ nunquam avaritiæ suspicione carent: ob eamque causam Cosmum Medicæum, prudentissimum Principem, Majestatis damnatorum bona, liberis & agnatis semper reliquisse. Denique rem suâ naturâ gravem, insuper ministrorum avaritia onerari. Sed scil. Harpyias aulicas, postquam Bohemiam, Moraviam & utramque Austriam contactu fœdârunt, & lesæ Majestatis, ac veritatum religionum prætextu, flebilemque Nobilium turbam patriis

triis rebus exturbârunt, nondum ſatiata fame, ungulas & infamia roſtra Imperii opibus quoque deglutiendis acuere. Hiantes illorum cupiditates facilitate Cæſaris intendi; apud quem, ut miniſtris obnoxium, minore metu & majore præmio peccetur. His ſermonibus materiam præbebat, quod Werdenbergii vox in vulgus emanaverat, Franconicæ Nobilitatis bona privati Conſilii Proceribus conceſſa; ſalarii à multis annis debiti ſolutionem, & laborum & fidei præmium. Præterea Meggavii ac Trautmanſtorfii Comitum, & Abbatis Cremſmunſteriani (Hi neſcio quo titulo à fiſco quædam ex proſcriptis bonis acceperant) nova ac peregrina nomina faſtidiebant, & aſpernabantur: inſita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere: & pari dolore commoda aliena & ſuas injurias metiri. Verùm immotum, ut dixi, fixumque Cæſari dicam; an aulæ moderatoribus fuit, non omittere tam pecuniosam piſcationem?

Diu, credo, expectas, Nobiliſſime mi amice, quid de bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione in his comitiis motum diſceptatum, ſtatutum denique ſit. Dicam equidem breviter. Non erat è dignitate Imperatoris, rem à ſe deciſam & edicto promulgatam, cenſuræ alienæ ſubjicere. Itaque tanquam de re extra omnem dubitationis aleam poſita altum ubique ſilentium erat. Neque ſegnius tamen interea Wurtembergiæ Dux, Marchio Brandenburgius, Comites Hohenloici, Waldecci, Argentinenſes, Norimbergenſes, quotidie latis ſententiis, bonis ſaeris abſcedere jubebantur. Vt ſatis conſtaret, nec ab ipſo Cæſare ſancitam temporis diſtinctionem & tranſactionem Paſſavienſem, & ſequentis ſervari: cum omnium quamvis clariſſimarum probationum fides cavillationibus & ſophiſmatis everteretur. Sanè Comes Furſtembergius, judicii Præſes, Caſpari Vrbano à Feiltſch, Cancellario Marchionis Brandeburgii, de iniquitate ſententiæ contra Hohenloicos latæ conquerenti, nihil aliud, quam vulgatum verſiculum repoſuit: *Fronte capillata eſt, poſthæc occaſio calva.* Idem Georgio Mullero, quem noſti, &

mihi familiariter reſpondit: Poſtquam Comites noſtri LXXX. annos, & quod excurrit, ſe in bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſione fuiſſe, fateantur; conſequens eſſe, ut in totidem annos illa Catholicis quoque bono animo tranſmittant. Poſſe poſt id temporis ad Proteſtantes redire. Ea juſtitiæ negatæ ludibria adjiciebantur. Vltimis tamen Comitiorum diebus Circulorum Franconici, Suevicique, Saxonicorum item Principum,& Ducis Brunſuicenſis, præterea civitatum quarundam Legati formulam legeſque tranſactionis conſcriptas Mogontij Cancellario tradiderunt: iſque viciſſim, in quas conditiones Catholici conſenſuri videbantur, alio ſcripto expoſuit: eoque res redijt, ut ulteriori compoſitioni tempus menſis Februarius, Locus Francofurtum deſignaretur. Seriò rem egerint Catholici, an quia tunc de Saxonis Electoris & quorundam in Franconia arcanis delectibus ab emiſſarijs quibuſdam relatum erat, majoreſque motus timebantur, ſpe concordiæ retinere Proteſtantes voluerint, ne novis conſiliis aures & animos accommodarent, haud facilè dixerim. Tempus omnia recludet: & de his omnibus, deque ijs, quæ inter Catholici fœderis proceres,quęque de modo ſtipendiorum militarium, oſtentui magis, quam manſura, decreta fuerunt, ut primùm .... am rediero, coram commodius confabulabimur. Vale Nobiliſſime N. N. & me ama. Ex prędio paterno N. N. pridie Idus Ian. Anno Chriſti M. DC. XXXI.

T. N.

Obſervant:

N. N.